Nos hîc, repetitâ fundatione primi istius hospitii Christianismi apud Saxones, donationem ejus, factam *Corbeiæ* novæ à *Hludovvico* & *Hlothario*, afferemus Commentariolo illustratam.

§. II. Cùm primô belli Saxonici annô, seu fundatæ salutis nostræ DCCLXXII, Karolus *Eresburgum*, (hodie *Mons Martis*, vulgò Stadtberg/ seu Marßberg dicitur) *nobile Saxonum castrum*, voce *Conradi* III. (c) & *Friderici* I. (d) feliciter expugnâsset, fanumque cum *Irminsula* pio zelo destruxisset, ad radices montis oratorium, seu sacellum condidit, quod pagani ex contemtu Rattenhuß vocabant. Hinc in ruderibus veteris templi in vertice montis Imperialis munificentiæ & Celsitudinis basilicam in memoriam *Petri & Paulli* construxit, (quorum simulacra in frontispicio templi conspiciebantur, è quibus tamen posterius tantùm supereſt,) eique insigne Collegium monachorum familiæ Benedictinæ adjunxit, qui ibi sementem verbi divini spargerent, & tanquam in specula pro custodia gregis fideliter excubarent. Hunc montem (cum tota Saxonia) *Karolus* Deo obtulit, & per *Leonem* III. B. Petro consecravit, sic, *ut ab omni humana potestate liber foret, fratrumque inibi ad Christi servitium adunatorum ditioni tantummodò pareret, interdicens sub anathemate S. Petri, ne quis unquàm bellica præsidia in ipso monte collocet, aut decimas circa montem per duas Saxonicas rastas*, (milliaria) *quas illûc delegârat Karolus, diripere audeat. Hæc conservantibus pax, infringentibus excommunicatio, & à Beatorum collegio separatio dicitur.* Data est charta *Eresburgi* per manum *Joannis* Bibliothecarii & Cancellarii Ecclesiæ Romanæ IX. Kal. Januar. Anno Domini *Leonis* III. quartô, indict. VIII. die dedicationis capellæ in Eresburg.

*Eresburg. expugnatum*

Rattenhuß/

*Basilica*

*monasterium,*

*consecratio Eresburgi,*

§. III. Literas has *Leoninas* post *Baronium*, (e) *Henricum de Hervordia*, (f) & Authorem *Monument. Padebornens.* (g) inseruit Irminsulæ suæ Cl. *Meibom.* (h) Dies solennissimæ dedicationis, cui (si veteri credimus libello) unà cum *Karolo* & *Leone* interfuêre CCCLXII. Ecclesiarum Prælati, fuit primus Augusti. Sub summo altari crypta est (olim Heyden-Keller/ jam sacellum Elisabethanum dicta,)

*dies solennitatis,*

[c] *de anno* 1147. [d] *de anno* 1152. [e] *T. IX. Annal. Eccles. ad ann.* 799. [f] *ad ann.* 805. [g] *edit. prim. p.* 69. [h] *c. XI.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 48, Stück 2;ZEN Leibn. Marg. 48, [16] - 2
PUBLIC DOMAIN